

Persuasus itaque de candore et aequitate Tua, Vir Illustris, spero primum Te fore ad impediendum, quo minus injuria, quae mihi ex citationibus Tuis, etsi Te invito, tamen metuenda est, persistat, et ad emendandum illatam.

Quamprimum commoda se occasio offeret transmittam ad Te integrum exemplar fasciculi primi pictum ab optimis nostris operariis, tumque peto, ut illam dimidiam partem, quae nunc in manibus Tuis est, reddere velis ornatissimo juveni Fabritio, qui has Tibi literas tradet. Fasciculus alter sub prelo sudat, interim autem donec integer prodit, mittam Tibi, si cupis, Tabulas separatas quotquot impressae sunt, nempe puras, id est sine coloribus.

Novissimae literae Forskålii Cairo datae erant Junio mense a. c. per Livornam procuratae, unde semina et msta, quorum mentionem facit, quotidie exspecto, siquidem mercatorum diligentia non deest. Continebatur in his literis specimen plantae, quam meo nomine insignare in animo habebat, sed haec quidem planta certo est Cleomes species et quidem violacea. Si cupis transmittam.

Vale et persuadere me inter eos esse qui non ultimae laudis reputant principibus placuisse in arte viris.

Hafniae, d. 8 Dec. 1762.

(13)           Illustri Linnaeo

S. P. D.

Oederus.

Minime iratus, at veritatem et existimationem meam amans, quae chara bono viro ut nihil supra esse debent, et veritati et mihi debo responsum ad nuperas Tuas literas d. 24 Dec. 1762 datas. Breve ut redderem pariterque clarum judicavi fore optimum, ut exscriptae parti epistolae Tuae subjungerem animadversiones meas.

Nec verbum amplius addam, nisi commemorationem honoris, quo Te, Vir Illustris, ob ingentia in Botanicam merita, etsi mihi ut palam est alienum, prosèquor. Vale.

Hafniae d. 3 Jan. 1763.